



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Praxis Cvræ Pastoralis Præcipve Circa Repentina &
Generaliora**

Possevino, Giovanni Battista Bernardino

Coloniæ Agrippinæ, 1645

Pueri quomodo audiendi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42220

cognitionem maiorem eos inducere ad laboret: quod fiet optimè, si peccati turpitudinem & gravitatem ponat illis ob oculos, quippe quod Deo aduersetur vel maximè, ac damnationis æternæ malum peccanti infinitum adferat, atque hoc pacto pœnitentem infligere, & sic effringere conetur, ut de vniuersis & singulis peccatis mortalibus, tam acrem animi dolorem persentiat, ut securè eis absolutionis beneficium possit impetriri.

Præterea, pœnitentes, sed eos præcipue qui rarius confitentur, pro iudicio, & necessitate cuiusque, rationem ac methodum quandam benè confitendi diligenter edoceant, ac speciatim quantum intersit ut integra sit confessio, aliasque circumstantias quæ ad ea requiruntur, & quam vim itidem habeant exponant.

Pueri quomodo audiendi.

Consuetudo honesta est, puerulos, etiamsi quinorum, aut sextum ætatis annum decimum excesserint, ante Confessarium adducere, ut sic incipient paulatim instrui, ac manu quasi in cognitionem, atque usum huius Sacramenti transferri: caueant tamen accurate Sacerdotes, ne absolutionem cum Sacramento ijs præbeant, in quibus nec idonea materia, nec ea rationis plenitudo reperitur; ac citra controversiam iudicare possint, eos huius Sacramenti capaces esse: operam tamen maiorem collocabunt cum ijs, qui septimum, aut octauum annum iam attigerunt, quantum puerilis ætas ferre videbitur, ut huius Sacramenti necessitatem & virtutem, nec non modum quo suscipitur, perspicue intelligant.

Quan-